



V. 1729

1) Bismarck

Heft 2/29/13
Film (14)

1

CARMENELE
GIACVM AD ENNONEM, GE-
nerosum orientalis Phrysiæ Comitem,
Euangelii uindicem, & uerum bona-
rum artium amatorem.



K f 129

22
56

Autore Ioanne Busmanno.

MARTINVS LVTHERVS.


Vera iubet pietas, Comites celebrare camœnis,
Et reliquos proceres, magnificosq; uiros,
Qui pia saluifici uenerantur dogmata Christi,
Et reprobî spernunt iussa nefanda Papæ,
Atq; bonas artes qui complectuntur amore,
Hoc rude quas odio tempore uulgus habet.

1 5 3 9



PROCARMINELLE
GIACVM AD BINNOMEM, GE

notum orientalis Physica Continent
Erasmi Rindicum, & uenit bona
indistincta



Auctore Joanne Buisanno.

MARTINVS LUTHERVS.

Vixit in pietate, Comitis celebrare canonicis
In scriptis uisus, magnificolis uisus
Quis laudat ueniam, dogma in Christi
In reprobis spectant in his uisanda Paor
Aq' bonas artes qui complectuntur amore
Hoc tunc quae odio tempore uisus habet

1732



luforiis perdere, & corpora (quæ habitacula sancti spiritus esse deberent) fornicationibus, adulteriis, & immunditiis contaminare, in ebrietatibus, comestationibusque uiuere, & ita Ecclesiæ bona quæ iure pauperibus, concionatoribus, & ludimagistris debentur, turpiter consumere: Quis quoque non abominaretur Papistas: cum uideat eos passim omnia templa occupare, & inconditis clamoribus replere, thure uaporare, missis, uigiliis, longis preculis, cæterisque Papisticis nugamentis prophanare, quæ in hoc edificata sunt, ut populus ibidem conueniat, & uerbum Dei pure annunciari audiat, ad synaxin accedat, hymnis & spiritualibus concentibus sese commoueat. Sacra scriptura non frustra eos uocat fures, homicidas, latrones, proditores Christi, parietes dealbatos, uiperas, serpentes, mutos canes, animalia uentris, & inutilia terræ onera. Cum Papistæ sublimes honores quærant, & immensas diuitias accumulent, carnisque uoluptates sectentur, Christi uero gloriam, & Ecclesiæ salutem negligant, merito detestandi sunt, & indigni cum quibus cibum et potum capiamus, familiaresque sermones conferamus. Quare generose Comes bene & prudenter facis, quod Papisticam sectam uelut nocentissimam Ecclesiæ pestem abominaris, & præcones eloquiorum Dei, artiumque professores unice diligis, colis, & obseruas, utpote Ecclesiæ ualde utiles. Neque id temere facis. Paulus enim uas electionis, tuba Euangelii, & penitissimum sacrarum literarum armarium id passim in suis epistolis præcipit. In priori Epistola ad Thessalonicenses sic loquitur. Rogamus autem uos fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter uos, & qui præsuat uobis in domino, & admonent uos, ut habeatis illos in summo precio per charitatem propter opus illorum, pacem habete cum illis. Ad Hebræos ultimo. Parete ijs qui præsunt uobis & concedite, siquidem illi uigilant pro animabus uestris tanquam rationem reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, nam id est utile uobis. De falsis Prophetis & Papistis uitandis sic scribit ad Philippenses. Cauete canes, cauete malos opera

operarios, caute concisionem. Et Christus in Euangelio.
Attendite à falsis Prophetis qui ueniunt ad uos in uestimen-
tis ouium, intus uero sunt lupi rapaces. Magnum est quod
octies eis imprecatur ue, non sine stomacho dicens. Ve uo-
bis scribæ & Pharisei &c. ubi hoc animaduersione dignum
est, quod Christus dicit eos non ingressuros in regnum
Dei. Ideo enim quod suas traditiones Euangelio præfe-
runt, manifestamq; Euangelij ueritatem impugnant, eamq;
heræsim appellant, digni non sunt ut hereditatem Dei
possideant, est enim peccatum in spiritum sanctum, quod
neq; hic neq; in futuro remittetur. Hæc cum ita sese habe-
ant, generose Comes, merito à te tuiq; similibus, imò ab
omnibus Christianis uitandi sunt Papistæ, & seuerò
Dei iudicio relinquendi. Vale, et hoc meum
scriptum boni consule. Datum Vitebergæ
pridie Michaelis, Anno 1 5 3 9.

CARMEN ELEGIACVM AD MAGNI-
ficum Heroa, ac dominum, D. Ennonem, generosum
orientalis Phrysiæ Comitem.

IVre tuas celebrāt cūcti, Comes inclyte, laudes,
Quorum Pierijs ora rigantur aquis.
Namq; tuum recta populum ratione gubernas,
Vt sacra iura docent, relligiocq; iubet,
Plectis enim reprobos gladio, mitesq; tueris,
Vt pax in cunctis floreat alma locis.
Atq; retinctores recta ratione carentes
Punis, quos uere tristis Erinnyis agit,
Illorum quod uita docet, doctrinaq; monstrat,
Humano generi quæ mala multa parit,
A 2 Namq;

Namq; mouet uarios cum seditiōe tumultus,
Et uiolat casti fœdera firma tori,
Atq; salutiferi deprauat dogmata Christi,
Et tollit ueram cum pietate fidem.
Adde q; ingenuas, Comes inclyte, diligis artes,
Ac multo Musas afficis ære bonas.
Cōspicis ut nullo nunc sint in honore camcenæ,
Et nullus doctis exhibeatur honor.
Prosequeris magnis igitur nūc sumptibus artes,
Suppeditas doctis iustaq; dona uiris.
Ergo tuum nomen celebrabunt carmine uates,
Atq; tuas laudes Musa disertā canet.
Cernis ut egregias spernat nunc turpiter artes,
Stulta Papistarum, Pontificumq; cohors,
Artes, quæ mites reddunt iuuenesq; senesq;
Cuncta quibus mentis rusticitasq; fugit.
Cōspicis immensas q; opes cum fraude Papistæ
Possideant, pictas magnificasq; domos,
Diuitias, quas uero inopes, uerbicq; ministros,
Rectoresq; scholæ, iure tenere decet,
Namq; scholæ moderatores præcepta loquendi
Tradunt, & pueros uerba latina docent.
Præcipiuntq; bonos mores, uitæq; tenorem,
Ut degant uitam cum pietate bonam.
Præconesq; Dei uulgo præcepta salutis
Proponunt, fidei iusticiamq; sacræ,
Cōiugiumq; colunt sacrū, castosq; Hymenæos,
Corpora quo seruent pura dicata Deo

Contra,

Contra, omni uiuunt nunc absq; labore Papistæ,
Inq; opibus magnis oia semper agunt,
Et spretis thalamis, ueneris sectantur amores,
Et uetitos coitus, concubitusq; uagos,
Membra quibus maculat quæ iugiter esse deceret,
Integra spiritui templa dicata sacro.
Hos igitur fures, homicidas, atq; latrones
Christus imago sui patris, ubiq; uocat.
Adde quod existant Scribæ, falsiq; Prophetæ,
In quibus est nullus religionis amor
Sacilegi, scortatores, turpesq; cinci, O
Innumeros quorum Roma scelestâ fouet.
Ielunioq; lupi, rabidicq; canes, asinicq;
Qui tria uix possunt uerba latina loqui.
Biblia non uoluunt, sed inertia tempora luxu
Perdunt, quæ studijs sunt tribuenda bonis,
Vina bibunt, & scorta tegunt, carnemq; saginant,
Illorumq; tenet tessera blanda manus,
Innumerosq; fouent catulos, magnosq; caballos.
Et scurras, animos qui exhilarare queant.
Et missas celebrant, & inania murmura miscent,
Ac numerant longas ore strepuntq; preces.
Herbas sanctificant, & aquas, reliquasq; caducas
Res, ut sunt albi paruula grana salis,
Compluresq; aliæ, quas enumerare molestum est,
Quasq; uelut numen gens maledicta colit.
Hos scribas, generose comes, falsosq; prophetas,
Pro nihilo ducis, nam sacra scripta colis,

Omni

Omni quæ studio conantur tollere prorsus,
Hi derisores, carnificesq; truces.
Nancq; cremant aliquos igni, gladioq; cruento
Nonnullos plectunt, fluminibusq; necant.
At nihil efficiunt, sed spe luduntur inani,
Et manet in solito sermo tenore Dei.
Nam quanto plures igni, gladioq; corusco
Plectunt, uindictibus fluminibusq; necant,
Constituet tanto plures Deus arbiter æquus,
Qui magna uerbum fruge docere queant.
O miseros homines, insensatosq; Papistas
Cum summo qui audent belligerare Deo?
Nō caro, nō mundus, stygius nō deniq; serpens,
Cœlestis pollet tollere uerba patris.
Ergo foret melius minime sæuire Papistas,
Et grato amplecti pectore iussa Dei.
Ut sic participes fidei, quoq; flaminis almi
Credendo fierent, iusticiæq; Dei.
Namq; fides, ut paulus ait, delicta remittit,
Et facit ut Christo quisq; placere queat.
Non uacat ipsa fides, fructus pfert sed apertos,
Cum petit id tempus, postulat atq; locus,
Vindicat infontes, inopes iuuat, & peregrinos
Colligit, atq; uagos sub sua tecta capit,
Solatur tristes, animat timidos, & egenis
Succurrit, miseris fert quoq; semper opem,
Protegit & uiduas gladio, natosq; relictos
Et quacumq; potest arte iuuare iuuat.

Veste

Veste operit nudos, sicienti pocula præbet,
Esuriem passis suppeditatq; cibum.
Quos fidei fructus non profert stulta malorum
Turba Sacerdotum, Pontificumq; cohors.
Sed missas celebrat, spaciosaq; templa boatu
Replet, prolixas ingeminatq; preces,
Cōsecrat aut fontem, uel templū thure uaporat,
Aut loca sancta petit, stultaq; uota facit.
His operum nugis toti se uenditat orbi,
Quisquis Pontificis iura nefanda colit.
Ut sunt sacrifices, monachæ, rasicq; sodales
Cælicolas ficta qui pietate colunt.
Quas fidei pestes delebit prorsus Iesus
Extremo aduentu, iudicioq; suo.
Ex animis electorum quas concio uerbi
Eripuit uehemens, eripietq; magis,
Si modo durarit, radicesq; egerit altas,
Et pariter celeri cœperit ire gradu.
Est Deus idcirco precibus, lachrymisq; rogandus,
Trudat ut in messem constituatq; uiros,
Iusticiam fidei qui diuulgare per orben,
Et magna uerbum fruge docere queant.
Verbum, quod generose Comes, cū laude tueris,
Ut sumat uires multiplicetq; suas.
Aere foues multos uerbi, fideiq; ministros,
Et uaria celebres cognitione uiros.
Qui populum sacri doceant mysteria uerbi,
Et magna ueram sedulitate fidem.

B

Sancta

Sanctaq; qui tradant nostræ præcepta salutis,
Distribuant fidei binæq; signa sacra.
Rectoresq; scholæ merito dignaris honore,
Et tribuis doctis præmia iusta uiris,
Namq; docent pueros latine primordia linguæ,
Ut recte possint uerba latina loqui
Necnon multiplici ueteres cum fruge poetas
Exponunt, pueris historicosq; legunt,
Vnde latinarum fluit ingens copia uocum,
Mularum rerum cognitioq; uenit.
Nam uicij bellum suadent indicere uates,
Virtutesq; sequi nocte dieq; docent.
Historici referunt rigidi discrimina belli,
Quale sit & nostræ conditionis opus,
Inconstans, uarium, non omni tempore foelix,
Milleq; quod mutet fors inimica modis.
Idcirco, generose Comes, te laudibus ornant,
Quotquot amant Musas, Pieridesq; colunt.
Præcones fidei quod alis, Christi q; ministros,
Et qui grammatices prima elementa docent.
Sic tu diuitias ueros expendis in usus,
Quas alij Comites dilapidare solent,
Hic struit ære graui spatiosa palatia Regum,
Et quæ sunt quauis candidiora niue,
Aut locat in summis excelsas montibus arces
Quæ tangunt nubes, aeriæq; plagas.
Congregat ille truces pedites, equitesq; feroces
Sumptibus immensis, ut fera bella gerat,
Et mise

Et miseros spoliet ciues, inopesq; colonos,
Crudeli capiat lataq; regna manu.
Illicitos alius ueneris sectatur amores,
Et magno precio turpia scorta tegit.
Sic Comitū pars magna malos cōuertit in usus,
Quæ merito doctis sunt tribuenda uiris.
Ergo, Comes generose, precor semperq; prece
Ut cœpti maneat propositiq; tenax. (bor,
Nil melius facies nil commodiusq; salutē,
Quam solito doctos more iuuare uiros,
Iusticiam fidei qui propagare per orbem
Possint, & fidei symbola bina dare.
Et pueris qui rite queant præcepta loquendi
Tradere, quo discant uerba latina loqui.
Hanc ob rem tribuit sortis tibi dona benignæ.
Immensas & opes ex bonitate Deus,
Oppida multa puto ditis regionis & arces,
Quas uis hostilis uincere nulla potest,
Prædia magna simul, spatiosi & iugera campi,
Et pariter culti pinguiâ rura soli,
In quorum uiridi pascuntur gramine tauri,
Vaccarumq; greges innumeriq; boues.
In quibus & grauidis nascuntur ordea spicis,
Qualia uix alibi teutona terra parit.
Egregios quod equos regio tua nutriat, addam
Quos emit hostis atrox, uel cataphractus eques
Cum gladio pugnare cupit, tælisq; cruentis,
Et dare crudeli corpora multa neci.

Et mare quod Phrysiam boreali cingit ab axe
Efficit, ut uarias nauita portet opes,
Aduerit hic tyrio fulgentes murice uestes,
Filaq; solerti serica texta manu,
Et piper extremis alius comportat ab Indis,
Et pariter tyrii multa talenta Croci.
Aut niueas portat gemas, uiridesq; Smaragdos,
Aut alios lapides, quos maris unda parit.
Dicitur hinc uero ditio tua nomine diues,
Et Phrysiæ nomen ditis ubiq; sonat,
Cuius si meritas uellem describere laudes,
Imploranda mihi turba nouena foret,
Vt pote terribilem q; fortiter expulit hostem,
Qui uoluit Phrysiæ Marte tenere solum,
Et q; crudeli multauit morte Tyrannum,
Qui studuit Phrysiæ tingere cæde manus
Quas, generose Comes, describere carmine per
Si mea cognoro scripta placere tibi. (gam,
FINIS.

PSALMVS XIX. EXAUDIAT TE
dominus in die tribulationis &c. latino
carmine redditus ad eundem.

Quæso tuis faciles precibus Deus applicet aures,
Teq; Dei ueri nomen ut usq; iuuet,
Cum te prauorum, sine causa, turba uirorum
Affligit, uariis persequiturq; modis,
Exq; Sione sua, ualido te robore firmet,
Ut ualeas hostes uincere Marte tuos,
Aliaq;

Altaq; respiciat puri suspiria cordis,
Atq; tuæ fiat uictima grata manus,
Et tribuat quod corde petis, semperq; secundet,
Intus quidquid agis quicquid agisq; foris.
Gaudemus ualida quod nos uirtute tueris,
Voceq; nos gerimus bellica signa, Dei.
Te Deus in cunctis clemens exaudiat horis
Atq; preces uanas nec sinat esse tuas,
Iamq; suum, cognosco, Deus quod robore Regem
Fulciat, illius respiciatq; preces.
Dextra Dei fortis defendit protinus omnes,
Illi qui toto fidere corde queunt.
Curribus hi fidunt, & equis, bigisq; rotarum,
Sed nos excelsi protegit umbra Dei,
Hi sunt prostrati, ueluti sint fulmine tacti,
Sed nos erecti turba secunda sumus.
O Deus in duro serua rogo tempore Regem,
Et certam nobis fer quoq; mitis opem.

FINIS.

ELEGIA IN PERVERSA
HOMINVM STVDIA.

Mens pia quæ teneris Christū gustauit in annis,
Et didicit summi uerba timere Dei,
Cogitur ex imo gemitus effundere corde,
Atq; uicem fratrum plangere iure grauem,
Cum uario rerum socios errore teneri
Viderit, & semper deteriora sequi.
Non tot multiplices inuoluit uipera gyros,
Tantaq; nec celso culmine grando salit,

B 3

Quot

Quot genus humanum rerū discrimina tentant,
Colluuiēsque mali concomitatur idem,
Nauibus hic pandis tumidū perlabitur æquor,
Veliuoli subiens mille pericla maris,
Cum dubijs alius totum circumuolat orbem
Passibus, ut cumulent munera fluxa Midæ.
Cum tamen ætherei doceat sententiã patris,
Et pariter Pauli scripta diserta canant,
Diuitias uigili spernendas mente caducas,
Necnon ætherei dona sequenda poli.
Tertius at magnis, condit de marmore tecta
Impensis, quæ sunt candidiora niue,
Actyrio niueas gestat de murice uestes,
Et gerit in digitis aurea dona Tagi,
Hirsutoque caput redimitus tegmine uulpis,
Composito gressu fingit & arte gradum,
Ut sibi conciliet miseri suffragia uulgi,
Et populi laudem, gloriolamque ferat,
Cum tamē omnis honor summus sit iure tonantis,
Qui graphice fecit numine cuncta suo.
Aurea sic referunt celsi monumenta parentis,
Et pauli crebro cœlica scripta ferunt.
Nec procul hinc deerit luxum qui curat inertem,
Quo fomes cuncti dicitur esse mali.
Nascitur hinc ueneris stimulus, calcarque diones,
Quæ docile ingenium debilitare solent.

Non

Nō uenit ad sophiæ culmen puer indole prestās,
Quem uenus ipsa tenet, præcipitemq; rapit.
Hinc q̄q; magna scatet morborū turba malorū,
Fortia quæ iuuenum corpora debilitant.
Sicut hydrops, scabiesq; manus, simul arida fe-
Cōpluresq; aliij, quos memorare piget. (bris,
Ast qui uirtutē studeat, rebusq; probatis,
Ex multis unus uix reperitur homo.
Attamen ingenuas uigili didicisse labore
Artes, existit laus, honor, atq; decus.
Nam licet ingentem cumulasses æris aceruum,
Atq; tibi specie cederet omnis homo
Artibus egregijs nisi mens fuerit bene culta,
Cœca tamen gelidæ mortis imago manes.

F I N I S.

Folio. 2. pro præcipiuntq; bonos & c. lege
compositosq; docent & c.









1

MENELE
ENNONEM, GE
Phrysiæ Comitem,
m, & uerum bona
amatozem.

ne Busmanno.

LVTHERVS.

rites celebrare camoenis,
s, magnificosq; uiros,
antur dogmata Christi,
iussa nefanda Papæ,
mplectuntur amore,
tempore uulgus habet.

3 94

